

05  
A  
1128



EXERCITATIO ASTRONOMICA  
De  
STATIONE SOLIS  
tempore Josuæ,  
Quam  
*In inclyta Witteberg. Academia*  
publico eruditorum examini sistunt  
PRÆSES  
M. JOHANNES JACOBUS BOTSACCUS  
GEDANENSIS  
&  
RESPONDENS  
MARTINUS LUDÆWIG /  
Rathenoâ - Marchicus.

In Auditorio Minoriboris matut:  
D. 28. Septembr.

A decorative horizontal border at the bottom of the page, consisting of a repeating pattern of stylized floral or geometric motifs in black ink on a light background.

D. 28. Septembr.

LITERIS MICHAELIS MEYERI, 1670.





05 A 1128

## PROOEMIUM.


Proclarè admodum Lucilius apud Cic. lib. 2. de Nat. Deor. Quid potest, inquit, esse rām apertum tamq; perspicuum, cūm cēlum suspe-ximus cœlestiaq; contemplati sumus, qvām esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur. Egregium sane & vel christiano humine dignissimum effatum! Non aliter enim statuere potest, qvis oculos animi pariter ac corporis in cēlum elevat, totq; stellarum vicissitudines ac mutuum qvæsi commerciū attente secum contemplatur. Habet enim tot testes Divinæ Majestatis, qvot faces sunt in cēlo. Qvod si enim vel minima ex stellis sui Artificis O. M. sapientiam ac bonitatem abunde demonstrare potest, qvid de teto cœlorum exercitu dicendum putemus, tanto ordine constituto, ut nihil ei pulchritudinis addi posse videatur? Meritò iraq; optimæ qvæq; ingenia rerum cœlestium studio indulserunt, & qvod aliter consequevi non poterant, arte & ingenio consecuti sunt, omnesq; siderum r̄as, nullis vestigiis notabiles, numeris tamenq; mensuris distinxerunt, tam felici successu, nihil ut jam astra in cēlo moliri possint, qvin id omne jam longo antè tempore præviderint. At sicut constantes motuum cœlestium leges diligenti indagine dignissimæ sunt, ita multo magis contemplationem meretur, si qvid novi in cēlo & in usitati contingat. Nam ut ex illo summa sapientia & bonitas Creatoris O. M. ita ex hoc stupenda ejusdem vis ac potest as dominiumq; in creaturas omnes mirifice elucescit. Qvapropter meritò admirata est omnis antiquitas, & admirabuntur qvot qvot ventura sunt secula stupendam illam Luminarium Solis ac Lunæ tempore Josue Statione. Qvo sane miraculo haud scio, an ullum in cēlo illustrius apparuerit. Nos hoc inusitatum Phænomenon contemplandum nebis proposuimus, non injucundam materiam rati, in qvā pro ingenii modulo versaremur. Initio autem reddenda est ratio instituti nostri, cūm de uno eodemq; arguento varia instiui disputatio qreat. Qvamvis enim ex hoc miraculo plurima affiri vulgo soleant ad evertendam Copernici Hypothesin; nos tamen de iis hæc vice solliciti non erimus. Non qvæsi Tychonis & Copernici placitis æqrè bene convenire cum Scriptura S. putemus, sed qvōd de eo judicare aliorum potius esse, qvām nostrum censeamus, qvi at tantis viris discere malumus, qvām eos docere. Præsertim cūm iis cancellis nostra hæc Disputatio circumscripta sit, ut longioribus nobis esse non liceat in adducendis argumentis, qvæ vel à parallaxi orbis anni, & ortu inde Fixarum magnitudine, vel à motibus ac viis, locoq; ac ordine planetarum peti solent. Itaq; optimū duximus utrāq; hypothesi suppositā, qvid ex unaq; qz de hac statione statuendū sit, contemplari; misis interim iis, qvæ ad Copernicanos oppugnandos ex hoc miraculo eruuntur. Faciant hoc ii, qvib; major est fiducia virium suarū, plusq; ingenii ac autoritatis ad censuram in istos cœli interpretes ferendam.



## CAP. I.

### *De Luminarium Solis & Lunæ in cœlo Statione.*

S. I.



E miraculosa illa Solis statione acturis, qvam tempore Josuæ contigisse in Sacris Literis legimus, vix opus esse videbatur multa initio præfari, qvæ ad vim ac indolem vocis pertinerent, cùm res ferme ipsa loqvatur, & velut indice digito ostendat, qvænam hujus loci sit, institutoq; nostro conveniens vocis stationis significatio. Neq; enim ad nos jam spectat, qvæ aliæ animalib; tribuitur, & nihil est aliud, qvæ intermissio exercitii facultatis locomotivæ, ab anima eorum profectæ. Nec enim talem animam l. in sole, vel in ulla aliis tellulis sanior Philosophia agnoscit: qvicquid etiam sit de eo, qvòd aliter veteribus qvibusdam visum fuerit. Præterea aliena etiam est ab instituto nostro ea stationis significatio, qvæ soli in solsticiis constituto, vel nomine teste, tribuitur: qvatenus scilicet sol non ulterius ab Æqvatore digrediendo declinatione suâ parum alterabili maximam Eclipticæ obliquitatem efficit. Cujus declinatio- nis variatio tam difficulter percipitur, ut verum solsticii tempus, etiam optimis instrumentis adhibitis, vix possit exactè definiri. Itaq; non immerito dixit Villebr. Snell. ad obs. Hass. Herculei esse laboris, in solsticiis vitare errorem quadrantis diei. Cumq; tum temporis dierum incrementa variare sensibiliter non soleant, fa-ctum est, ut aliquæ Soli statio attribueretur. Sed cum hac nihil nobis commercii est, utpote qvæ nec primum, nec secundum motum excludit, & simul ex lege ac præscripto naturæ annuâ vicissitudine contingit. Neq; aliter judicandum est de eâ statione, qvæ in The- oricis exponi solet, qvæq; una est ex passionibus Planetarum. Nam & illa

& illa non extraordinariè sed naturaliter evenit, imò sciri etiam exqvisitè, & multo tempore antè, qvām in cœlo contingat, prædici ab Astronomis potest. At nostra, de qua nunc loquimur, extraordinaria ac miraculosa profus est statio, Dœ scilicet in salutē populi sui, & ut Heros Inclytus Josua in reliquiis hostium delendis omne bellum confidere posset, præter consuetas naturæ leges Solis cursum inhibente, ut dies longior evaderet, victoriæq; sufficeret. Causa itaq; hujus rei non est in natura qværenda, cùm hic effectus omnem virtutem causarum naturalium excedat; sed in Deo & ejus libera voluntate, qvi ut ordinem naturæ solus instituit, ita etiā, cùm sic visum ipsi fuerit, aliquid in eo immutare potest, utpote qvi solus potentiam habet huic effectui proportionatam i. e. infinitam, qvalis etiam est ipsius essentia. Sed hæc manifesta sunt. Veniamus ad contemplationem ipsius miraculi.

§. 2. Ex diligentia autem circumstantiarum consideratione cuilibet patet, secundūm qvem motum sol præcipue steterit, nempe secundūm qvem diem efficit suā supra finitorem præsentiam. Hic autem primus est, ab ortu in occasum factus. Facile igitur intelligi potest, qvanta sit inter eam, qvæ in Theoricis proponitur, & inter miraculosam hanc Solis stationem discrepantia. Illa enim in sole neqvidem naturaliter dari potest, & si in eo observaretur, nil nisi miraculum esset; at hanc in sole contigisse Sacra Pagina testatur. Illa ad secunda tantum mobilia pertinet; hæc non ad secundum tantum, sed primum qvām maximè & communem motum. Illa necessariò & ex naturæ legibus fluit; hæc ex libera DEI voluntate contigit cœn extraordinaria & miraculosa.

§. 3. Cærerūm quem sibi finem Deus O. M. in hoc miraculo propositum habuerit, satis docet Historia sacra. Nimirum ut desiderio Josuæ satisfaceret, Amorrhæos funditus deleturi, diurniorem solaris luminis usuram, qvām aliæ natura passa fuisset, concessit. Ne sc. Israelitis idem eveniret, qvod aliæ Iæpiùs accidisse historiæ testantur, ut nox interveniens finem ac modum victoriæ statueret. Qvemadmodum in pugnâ illâ Ætii cum Attila perqvam memorabili factum accepimus ex Paul. Diac. l. 15. Atid fieri non potuisse, (cæreris se, paribus) nisi Sol in motu primo impeditus fuisset. Eqvidem multæ possunt causæ dari e-

tiam in natura obviæ, propter quas dies alius alio longior existat, non modò pro diversa ratione unius diei ad diversas poli altitudines comparati, verum etiam in eadem Latitudine loci. Primum enim motus Solis proprius diem aliquantulum angere potest. Unde dies Solis major est die primi mobilis aliquot minutis, sicut & sidereo, qui cum hoc idem est, aut certè illo non longior ictu ateria humanæ. Deinde non minus præstat Refractio, quæ ut alias admirandorum effectuum, quantumvis saepe ignorata, vera tamen causa est, ita ipsa quoque diem efficere longiorem potest. Nam cum hæc per naturam suam sidera attollat, majoremque iis altitudinem conciliat, quam revera habent, præsertim in majori à Vertice distantiâ: ideo etiam Solem in horizonte orientali multo citius oculis nostris offert, & prius quidem quam revera ortus sit. Similiter in occidentali aliquanto diutius detinet, ut adhuc pleno jubare fulgere videatur, cum tamen revera, & si motum ejus speches jam infra finitorem descenderit. Et hoc in primis evenit in regionibus quæ ab Äquatore magis sunt remotæ. Cujus rei nullum illustrius exemplum habemus, quam quod suggerit Historia Navigationis Hollandicæ. Nam Batavi in Novam Zemblam delati sub elevatione poli 76. Solem viderunt 4. Novembr. infra Horizontem descendenter, & mox 24. Januar. iterum ascendentem. At ex declinatione Solis debuisse ille in isto horizonte die 11. Febr. demum oriri & 17. Octobr. jam occidere, secus atque factum est. Hujus autem rei nulla alia causa fuit quam Refractio. Quæ ibi Solem celerius elevando, & diutius eundem supra horizontem detinendo, dies illius Regionis integris 34. diebus adauxit. Et hæc res cum ante Tychonem, primum Refractionum siderealium Mensorem, cognita non fuerit, mirum non est, veteres in indagandis locis ac motibus stellarum tantopere aberrasse: ut quoque ansam inde Recentiores acceperint observationes, præsertim prope finitorem factas, vel aëre alias de impuritate suspecto emendandi. Id quod non in propriis modò, sed veterum quoque observatis faciunt, si quæ ex iis ad eliciendas motuum periodos mutuari cogantur. At nihil harum causarum admitti hinc vel potest, vel debet, sed sola Dei virtus solem supra horizontem Canaan detinentis.

§. 4. Ex his igitur, quæ diximus, etsi satis, ut opinor, constare

stare posse, quānam ratiō fuerit hujus stationis in sole, erit famen  
operæ pretium reliqua etiam perseqvi, quæ ad hanc materiam  
pertinent, ut ita eo rectius de magnitudine hujus miraculi judice-  
mus. Itaq; primū de eo dispiciendum, an sol, uti à primo ditir-  
noq; motu, ita simul à secundo ac annuo cessaverit. Neq; enim  
res hīc adeò expedita est, præsertim si varietatem hypothesum  
præstantissimorum Astronomorum speßtemus. Licet enim, si res  
ex intentione Dei tantum æstimanda esset, parvum referre videri  
posset, utrum qvis id negaret an affirmaret, cum ad diem extenden-  
dam exiguum admodum conferat motus solis proprius in Zodia-  
co. Nihilominus aliæ rationes sunt, quæ id minimè permittunt.  
Nam si Scriptura S. stationem atq; quietem motui oppositam So-  
li attribuit, non obscurè colligitur, eam omnem motus speciem  
remotam velle. Accedit qvòd ex hypothesi Tychonica loqven-  
do aliter statui non posse, cū illa primum & secundum non dupli-  
cem, sed unum revera motum esse supponat, licet ille ad oppositas  
plagas referatur. Itaq; necesse est stellam, quæ à primo cessat, à  
secundo quoque simul cessare. Sicuti etiam docet natura & indoles  
motū spiralis, qui ad apparentias salvandas adhiberi communiter  
soler. Ita juxta Tychonem. At ex Copernicanorum mente lo-  
qvendo longè hīc aliter est pronunciandum. Neq; enim illi mo-  
tum spiralem in stellis agnoscunt, quamvis eum non afferat modò  
Ricciol9, sed multo etiam Schematum & verborum apparatu con-  
firmet in Astr. Ref. l. i. de sole Cap. XVIII. Ita ut quoq; lib. V. de Sa-  
turno Cap. XII. dixerit : Non decere Astronomostam angusti es-  
se pectoris, ut spiralem hunc motum non comprehendant, quia  
non sit per unam simplicem figuram facilē atramento aut gypso  
tyronibus hujus artis designabilem. At Copernicanitalem motum  
nec capiunt, nec admittunt, utpote nimis tortuosum indignumque  
sideribus, quæ ut naturæ maximè simplicis esse, sic quoque talem  
motum amare existimant. Itaq; cūm diurnum terræ adscribant,  
vertigine circa centrū suum ab occasu in ortum circumgyratæ, (ex  
quo sit, ut stellæ contrario motu ferri videantur) ideo dicendum  
pro hac solis statione salvandâ, tellurem ab illo motu cessasse, ejus-  
que effectum in ipso sole subsistente apparuisse. At nec in orbe an-  
nuo progressam esse eodem ferme argumento, quo antè usus sum,

effici-



efficitur. Alias enim anima adverti potuisset, Solem per aliquot minuta processisse, quod non belle satis convenire videtur cum veritate historiae, quae Soli quietem attribuit. Restat motus vertiginis Solis, quem pariter ei competere docet ipsa varietas maculorum, quae circa limbos Solis angustiores & tardiores apparent, quam in medio Solis disco constitutae. Quamvis autem hic quilibet suo abundantare judicio possit: multo tamen probabilius est, nec hunc in eo motum extitisse, tum temporis prorsus attonito. De quo Cap. seq. plura. Itaque concludimus Solem non primo tantum & secundo, (idem judicium de Luna esto) sed omni omnino motu caruisse, ita ut & Apogaeum omniaque puncta ad theoriam ejus pertinentia substituisse certissime censemus.

## C A P. II.

### *De reliquorum Siderum in cœlo statione.*

§. I.

HACTENUS de Sole dictum est, quantum quidem id ratio hujus miraculosæ Stationis requirebat. Restat, ut adhuc expendamus, quae reliquorum in cœlo siderum fata fuerint, an & illa non minus quam Sol & Luna quietiverint. Et quanquam audax fortassis propositum videri posset, quicquam certi in hac re definire velle: tamen si quis & circumstantias historiae, & simul perennes motuum cœlestium leges completerit, parum aberit, quin existimaturus sit, non leviter aliquâ conjecturâ, sed demonstrativè evinci posse, reliquos etiam planetas, ut & fixas, tum temporis quietuisse. Primum enim ita nos sentire jubet principatus Solis, quem inter astra obtinet. Naturæ enim maximè conveniens fuisset, stante eo, ceu temporum non modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cœlique rectore (ut Plin. loquitur l. 2. c. 6.) totum cœlorum exercitum substituisse. Vix enim aliter fieri potuisset, cum non modo reliqui planetæ omne à sole lumen accipiant, sed & in motibus suis ab eodem quodammodo dependeant. Dignum certè est admiratione, illos nihil lucis propriæ possidere, sed omnem eam faciem, quam nobis apparent, ut fulgidissimam à Solis radiis tantum mutuari. De Luna quidem rescerta est, quae dum

Nasci-

*Nascitur emoriens, moritur modò, nata pererrat  
omnia, bis senos vultus sibi sumit in anno.*

nunquam certè tamen variâ facie, instar Protei cuiusdam, nobis appareret, nisi omnibus illa lux, quâ terram illuminat, ei à sole afflueret. Neq; alia est ratio reliquorum planetarum. Etsi enim tot seculis creditum id non fuerit, recentiorum tamen solertia, oculo imprimis tot stupendis machinis armato, comperit, eosdem ita Lunam imitari, ut modò pleni, modò gibbi, modò dichotomi, quandoq; nullâ luce collustrati videantur. De quo cœlum ipsum testimonium dedit omni exceptione majus, quando Venerem anno 1639. & anno 1661. Mercurium sub Sole in instar nigerrimarum macularum exhibuit. De quo Vid. Gassend. in Instit. Astron. p. 97. & 188. & celeberrim. Hevelius, Decus Patriæ nostræ immortale de Mercurio & Venere in Sole visis p. 65. sq. Sed & de Marte dubitari non potest, siquidem & ille 90. grad. à Sole distans, non aliolumine gaudet, quam quo Luna in quadris. Denique de Jove & Saturno tot argumentis idem evinci posset, quod Eclipses hactenus observatae sunt in eorum satellitibus, quæ nunquam contingere potuissent, si non lumine tantum emendicato fulgerent. Jam verò si quis ex eo, quod Sol cum planetis lumen omne communicet, simul colligere vellet, eundem non minùs ad motus eorum moderandos concurrere, fortassis non vana conjectura esset,

§. 2. Cæterum hoc pacto reddi aliqua ratio posset, cur sapientissimus rerum omnium Conditor tantam Soli magnitudinem tribuerit, ut non modò quam visam, sed & veram Diametrum adeoq; & classificationem omnes planetas superaret, nisi quia voluit eum moribus illorum in cœlo moderandis præesse. Neque enim ad hæc inferiora aut fovenda aut illuminanda id ita necessarium fuisse videtur, quandoquidem idem fieri potuisset, Sole multo minore & terris vicinore. At multo majorem ille natus est celsitudinem, non modò si Tychonis, sed vel maximè si recentiorum placita sequamur. Siquidem Ricciolus cùm alibi, tum nuper in Astron. Reform. lib. 1. de Sole postquam multa de Parallaxium & Refraction. doctrina scitu dignissima proposuisset, tandem Conclus. 2. statuit, Parallaxin Solis vix 30. sec. æquare, propendens etiam in eorum sententiam, qui eam adhuc minorem censent. Itaque naturæ maximè consentaneum est, quoniam

*Pondere, mensurâ, numero Deus omnia fecit,*

B

Solem



Solem quoq; in tanta magnitudine distantiaq; non frustra, sed in eum, quem dixi, finem condidisse. Imò ipsa natura & constans motuum cœlestium ratio hoc ipsum confirmant: cùm observatum sit, omnia Sidera in revolutionibus propriis super Polis Eclipticæ ferri, ita ut vel in ipsa Ecliptica incedant, vel si ad latera mundi digrediantur, tamen suos motus ita semper componant, ut eam non prorsus deserant, ceu regiam Solis viam ac normam, ad quam perpetuò respicere coguntur. Unde non inconcinne dixisse videtur Longomont. lib. I. Theor. c. IV. *Eclipticæ ductum Sol imprimis, deinde omnes reliqui planetæ ultro citroq;*, quod mirabile visu est, seqentes, Solis potentiam ac majestatem, ipsi a Creatore inditam totis cursuum suorum perio*is* venerantur. Et hæc lex omnibus planetis communis est, à qvâ nec fixæ exemptæ sunt. Quanquam enim non nemo magni nominis Chron. aliter sentiat, fixasq; super Eclipticæ polis circumgyrari neget: tamen haud scio, an satis solidum hnic sententiae fundamentum subsit, cùm & observationibus & autoritati præstantissimorum Astronomorum repugnet. Ob quam rem non semel reprehensus est à Ricciolo, tum in Almagesto, tum in Astr. Ref. Neq; enim id admittit Declinationis mutatio in fixis, illi Æqvatori conveniens, cuius polus idem est cum polo mundi, sicut nec Polaris Stellæ variatio, cùm, qvæ nunc polo mundi vicina est, multis antè seculis longè ab eo remota fuerit. Et certè corruerent omnia, qvæ de lucido humero Ursæ minoris & stellis similibus, qvarum complem. Latitudinis minus est distantia Polorum, primus omnium (ut ipse testis est,) Ricciolus observavit, qvarum AR. interdum decrescit longitudine crescente, quod de tanto Astronomo dici non porest. Imò Ptolemæus, (ut est ap. Reinhold. in Purb. p. 230.) jam idem olim demonstravit, dum sua cum Hipparchi observatis conferret, inveniretq; eandem fixas latitudinem retinere, quod alias fieri nunquam potuisset, uti cuilibet patet. Neq; hic obstat, quod ex Tabulis Astronom. Danicæ alia atq; alia latitudo pro diversis temporibus per calculum eliciatur. Præterquam enim quod hæc differentia aliquot tantum Scrupulorum sit, non etiam ex motu ipso stellarum redundat, sed ex variabilitate obliquitatis Eclipticæ, quam illa supponit, alii autem non concedunt.

§. 3 Verum his argumentis omnibus pro universali omnium siderum statione evincenda multo plus roboris accedit, si in specie habitudinem motus, qui in singulis est, contemplemur. Primum igitur in Lu-

in Luna causa perorata est. Eam enim in cœlo stetisse Historia sacra testatur. Videamus tamen, quid ex natura motūs, quem hoc sidus habet, in hanc rem afferri possit. Etenim cùm ad diem augendam luna nihil conferat, dici aliud vix potest, quam quod Deus præter alias causas, etiam ad harmoniam motuum cum in Luminaribus, tum in reliquis planetis, à se ipso institutam respexerit, ne id, quod tam eleganter constitutum erat, tam enormiter turbaretur. Itaq; haud scio, an fidem facile inventura sit ea sententia, quam Alphons. Tostatus in h.l. affert, quæq; eidem non omnino displicet, dum quæst 19. p. 309. Quæreret, inquit, aliquis, quare dixerit Josua: Luna ne movearis. Et responderet: Forte quia erat imperitus circa astrorum doctrinam, sentiens ut vulgares sentiunt. Putant enim unum esse cœlum, & in eo omnia astra infixæ, ut clavi in rotæ, ita ut moto uno omnia moveantur. Et q. 20. postquam utrumq; fusè refutasset, addit: Josua tamen utrumq; tenuit, & ita procedebat deprecationis. Tamen hoc non est admirandum, quia non erat assuetus doctrinæ astrorum, sed magis Legi DEI & operi militari. Verum quis crederet tantum populi Israëlitici Ductorem tam rudem fuisse, neq; in hac, viris etiam principibus dignissima Scientia vel à Mose institutum, qui stellarum motus cognitos sine dubio habuit, utpote in aula Pharaonis educatus, eâ scilicet in gente, cui haec artes in deliciis semper fuerunt. Imò verò multo verius est Josuam inter alia ideo quocq; id fecisse, quod non ignoraret, quoniam Luna ac reliqua sidera à Sole in suis motibus dependent, ita ut eo immoto reliqua moveri vix possint. Id quod & apertere docet Longom. in Proœm. ad part. II. Astron. Luna, inquit, et siteram in medio respiciat, tamen & ipsa mirabili quodam vinculo Soli alligata est; ita ut præter Eccentrici sui per geminos circellos, etiam ad dispositionem cum Sole varie afficiatur, unde in quadraturis digressiones facit maximas, & interim quocq; locis intermediis motum in quadraturas digrediendo paululum accelerat, eundemque illinc redeundo retardat. Et l. I. Theor. c. VI. Lunaris cursus restitutio solarem merito excipit, tum quod Luna eidem cum Sole centro innitat, tum quod quoq; ad dispositionem in omni sua revolutione, Solis respectu Luna in motu suo dirigatur, aliasq; hinc anomalias acquirat, in mini suo, quod vere à sole mutuatur, quodammodo analogas. Tandem p. 243. omnem motū lunaris varietatem à Sole proficiisci docet. Etenim dum telluris respectu, inquit ille, Luna Soli vel conjungitur vel eidem opponitur, major efficacia telluri, velut primario orbitæ Lunæ centro, hic attribui videtur, ob radios solares in terram incidentes,

& cum vi motrice ab ea conjunctim sese atq; directe ad centrum Systematis epicyclici Lunæ reflectentes; unde illud runc festinantiū in Consequentia promovetur, circa quadraturas autem remissiūs, dissipat illic in maxima aspectū obliquitate, radiorum solarium virtute. &c. Jam verò qvia Sol alias in motu constitutus vi radiorum suorum ex mente Longom. Lunam impellit, nunc autem ab omni & maximè à vero motu cessavit, Lunam quoq; quæ se ad eum ceu normam accommodat, cuiusq; longitudo primū à Sole, deinde demum ab æquinoctio deducitur, similiter qvieville necesse est. Idem argumentum de reliquis planetis valet, qvi omnes velut satellites solis ad ejus motum se conformant; ad medium quidem Venus & Mercurius, sed ad verum Mars, Jupiter, Saturnus. In quorum proinde motibus supputandis motus quoq; ve Solis perpetuò commistus reperiuntur. vid. Long. l. I. Theor. c.I. V. & IX. Accedit alia ratio, quæ ex natura orbium harum stellarum desumitur. Centrum enim Systematis planetarii, exceptâ lunâ, est in Sole, ita ut cum eo illa simul convolvantur, qvod Sole stante fieri non potest. Et hoc argumentum tam leve reputari non debet, cùm apud Copernicum tantum potuerit, ut cum centro universi planetarium, qvod in Sole est, univerit, ne scil. tanto Principi dignus in mundo locus deesset.

S: 4. Atq; hæc omnia ex eorum mente dicta sunt, qvi tellurem in mundi medio ponunt. Quid jam juxta Copernic. & eos, qvi illum seqvuntur, dicemus? At juxta eos nihil certius est, qvam omnes omnino stellas motu primo progressas non fuisse. Nec aliter fieri potest, quandoq; videm, ut Cap. præced. dictum, omnis motus diurnus in Stellis apparens tantum est, ob unicam terræ circa centrum suum conversionem. Qvam cessasse tum temporis ibidem diximus. At de secundo motu idem demonstrare difficilius esset, nisi qvis forte in iis acquiescere velit, qvæ antè de harmonia motuum diximus. Neq; enim ita improbabile est, uno ex planetis stante terrâ scil. (nā hæc illis planeta est) unâ cum sua pedisseqva Luna reliquos etiam substitisse. Idem tamen, suppositis ingeniosissimi Keppleri placitis, certius concludemus. Keplerus igitur Solem non modò fontem luminis esse docet, sed & tantum ei jus in reliquos planetas tribuit, ut nonnisi ejus beneficio suas absolvere periodos possint. Itaq; vel. 4. Ep. Astr. Coper. q. 5. Soli, inquit, ad circumferendum planetas orientem versus pro manibus virtutem esse sui corporis, lineis rectis radiorum in omnem mundi amplitudinem emis.

emissam. Et hanc virtutem similem magneticæ esse docet. Itaq; sicut magnes ferrum, ita Sol fibris suis magneticis stellas ipsas corripit. In quibus cùm duplex plaga detur una Soli amica, altera inimica, ideo Sol, dum circa centrum suum circumagit, simul planetas ab apogeo seu potius aphelio ad perihelium trahit, idq;e dispari velocitate, pro minori vel majori virtute radiorum, ac diversâ stellæ à Sole elongatione, ita ut via Elliptica inde procreetur. Atq;e hac ratione causam reddit, cur planetæ, qvo sunt remotiores, eo sint tardiores, & contrà eo velociores, qvo viciniores sunt Soli, uti in Saturno & Mercurio videmus. Similiter cur unus idemq;e planeta tardior sit in aphelio qvām perihelio, in æqualitate illâ non nudè opticâ existente. Nimirum ex Solis virtute res decidenda est, qvæ ad corpora magis diffusa cienda languescit, in ea verò, qvæ vicina sunt, fortius agere potest. Ita ex mente magni Kepleri, qvæ l. c. etalibi vid. Hæc autem omnia licet ab omnibus non admittantur, in primis iis, qvi Copernico non satis favent, licet etiam Ricc. pro meritis figuris habeat, nobis tamen id officere non debet, qvi ex hypothesis tantum disputamus. Nimirum inæqualitatem in motibus stellarum non nudè opticam sed realem esse cum Keplero agnoscit, unde in Astron. Ref. l. 5. de Satur. c. 12. dicit: *Mihi videtur adhuc proficiendum eouig;*, donec agnoscamus motum planetarum non ex parte tantum, sed totum esse inæqualem, & uniformiter difformem, idq; non solum non dedecere corpora cœlestia, sed maximè congruere finibus à DEO summo Opifice intentis: nam æqualitates istæ, qvæ nobis pulchrae videntur, pulchrae non sunt; pulchriores autem illæ inæqualitates, qvæ regulariter harmoniam Mundi constituant &c. At causas hujus inæqualitatis Keplerianas pro fictiis habet, & in earum locum Intelligentias substituit. Ita enim in Alm. Nov. l. 4. de Luna c. 28. Quidam sensus evidenter percipit motus planetarum, non esse in omnibus sui partibus æquales, nec ulla ratio à priori sive efficiens seu finalis huic inæqualitatiresistit, Physicam in illis inæqualitatem agnoscemus, & efficientem causam immediatam hujus motus, qvia est opus mentis, finem inæqualitis illius & ideam cognoscentis potius, qvām cœcæ naturæ, Intelligentiis cum sapientissimi viris attribuemus. Nihilominus alii magni nominis viri cum Keplero faciunt. Itaq;e ex illorum hypothesi loquendo, certissimum est, planetas cum sole substistisse. Nam cùm in fine cap. præced. demonstratum sit, solem à motu vertiginis immunem fuisse, secundūm qvem circumducere reliquos planetas solet per ea, qvæ modo allata sunt, ideo necesse est, astra qvo-

qve reliqua qvievisse. Qvod argumentum tantum certe ponderis habet, quantum id, qvod à causa ad effectum procedit. At ne qvis prius à nobis gratis supponi existimet, perpendat modò ea, qvæ de Terræ, Solis ac Lunæ qvieta cap. præced. diximus ex mente Copernici. Nam cùm positrâ causâ & non impeditrâ effectus ponatur, & effectu posito causam fuisse necesse sit, & verò per præced. constiterit tellurem æqvæ ac lunam, qvæ ab illa & sole in motu suo dependet, substitisse, ideo necesse est solem qvoqve, qvi suâ vertigine id efficit, inhibitum fuisse, qvod erat demonstrandum.


s. 5. Ex his igitur satisliqvet, qvo modo salvis præstantissimorum artificum Hypothesibus, tot seculorum ac gentium observationibus innixis, non possint non statui omnia sidera cum sole qvievisse. Qvæ sententia tanto facilius fidem ap. omnes invenire debet, quanto magis congruit cum ordinatione divina ac harmonia motuum, qvæ turbari sine causa non debet; præsertim cùm contraria sententia plurimis absurditatibus urgeatur, qvas negare nemo potest, nisi cœlo prorsus inconsulto de hac re judicare velit. Primùm enim luna ita mota progressa fuisse à Cancro in Geminos, ab his in Taurum &c. ordine retrogrado. Quem motum qvo nomine appellem non invenio. Non primus dici exqvisitè loquendo potuisset, cùm per eum stellæ suam longitudinem non varient. Imò nisi ab Hipparcho, Ptolem. Copernico vel Spica vel Lucida Arietis suas longitudines mutasse inventæ fuisse, nunquam iis motum proprium attribuisserit, licet à primo mobili qvotidie circumactis: nec etiam secundus, qvia non factus fuisse ab occasu in ortum. Præterea hoc modo solem qvoq; lumen deficerre potuisset, qvod certe alienissimum fuisse ab intentione DEI, qvi Solem ideo detinuit, ut Josuæ pugnanti luceret. Qvod ut melius pateat supponamus solem v.g. in Cancro fuisse mense Tamuz, præsertim cùm hæc sententia qvibusdam placuerit (de qvo V.Salian. in Annal. Tom. 2. ad A.M. 2584. fol. 303.) sit a.Luna in 20.gr.Cancr. Novilunio jam peracto, (plena enim non fuisse certissimum est, aliàs non extitisset supra horizontem Canaan.) Si jam Sole immoto Luna contra S.S. moveretur rursus Soli conjungeretur, & ita spatio 2. aut 3. dierum duo novilunia celebrata fuissent. Qvin etiam si latitudo Lunæ Visa exigua tempore conjunctionis visibilis extitisset, sol regi & obscurari potuisset, qvod est inconveniens. Præterea luna sole stante ita per Geminos, Taurum,

Arie-

Arietem &c. procedens perpetuò luminis sui incrementa accepisset, & tam sensibiliter, ut dichotomos ac tandem plena apparuisset, qvæ ante aliquot horas tantum falcata fuerat. Ulterius luna ita lumine crescens cornua ad occidentem projecisset. At regula hactenus immota fuit: Luna cornua ad occidentem projiciens decrescit, sed ad ortum crescit. Ut nihil jam de confusione Fastorum dicamus apud eas gentes, qvæ annum suum ad lunæ motum conformârunt. Harum autem non paucæ omni ævo fuerunt, & adhuc hodie sunt Turcæ ac Arabes, qvorum Anni Hegiræ lunæ ætatibus definiuntur. Plura absurdâ lubens prætereo nemini non obvia, qvi Theorias planetarum paululum contemplari velit.

§. 6. At non minores sunt difficultates, qvæ reliqvas stellas, si Sole immoto motum iis tribuamus, concomitantur. Omnium certè planetarum orbes luxati, & qvod maximè inconveniens est, Venus & Mercurius Soli oppositi fuissent (juxta hypothesin Tychonis) cùm tam sicut satellites Circumjoviales suum Jovem & Saturnini suum Saturnum, ita hi planetæ Solem perpetuò ambiant, ut eum ne quidem quadrato aspectu intueri digressiones ipsorum maximæ permittant. Certè Venus, quando non combusta est, semper est vel Phosphorus vel Hesperus. Similiter Mercurius adeò soli vicinus est, ut vix in magnâ Sphæræ obliquitate præ fulgore ejus, nec nisi vaporibus Horizontis involutus conspici possit; inobservarus propterea ipsi Copernico, qvod valde miratur Celeberr: Hevelius l.c. p. 43. Sed non est cur his immo-remur. Res enim expedita est. Ad Fixas potius veniamus, qvæ qvòd unà cum sole substiterint, non est probatum difficile, præsertim juxta Copernicum, per qvem alias æternâ quiete fruuntur. At aliter ex Tycho-nicorum mente loquendum, qvi eis motum non denegant. Non autem argumenta ea hîc produci possunt, qvæ pro planetis in præced. atculimus, à lumine mutuatio &c. cùm proprio lumine gaudere pos-sint, in primis qvoniam nullam habent parallaxin sensibilem, adeoque distantiam illimitatam. Nihilominus ab absurdo id colligemus. Fin-ge enim Sole immoto v.g. in Cancro Fixas fuisse promotas Sol certe exi-guo tempore interjecto extra Eclipticam constitutus fuisset. Imo si stationem hanc non 24. horis sed 12. tantum aut 13. durasse statuas, Sol Eclipticam naturaliter iterum ingredi nunquam potuisset, sed hæsisset in Capricorno cum tanta Latitudine, qvanta est distantia polarum du-plica-

plicata. Non ignoro eqvidem quid hic asteri possit ex distinctione  
Zodiaci Rationalis in cœlo ~~diagram~~, & Asterismorum visibilium. Sed  
tamen alterutrum est concedendum, aut cum Sole Zodiacum illum  
substituisse, & sic stellæ australes, ut Aldebaran Latitudinem Austrinam  
cum Borea communassent, aut eundem cum fixis promotum fuisse, &  
sic Solem Eclipticam deseruisse. Quæ omnia incongrua sunt, & con-  
tra prima Astronomiæ fundamenta. Quapropter nihil aliud supere-  
rit, nisi ut in hac admirabili Solis ac Lunæ, imo omnium, quæcunque in  
Cœlo existunt, siderum Statione Creatoris O. M. sapientem omnipo-  
tentiam & omnipotentem sapientiam toto pectore  
veneremur.



## COROLLARIA.

1. *Habitus Matheos unus est.*
2. *Sol nunquam ad Äquatorum venit.*
3. *Luna nunquam plus lucet quam in Novi-  
lunio, nunquam minus, quam in Plenilunio.*
4. *Nullum adbuc merum Plenilunium ab or-  
be condito apparuit.*
5. *Potest naturaliter eodem tempore simul  
contingere Eclipsis Solis & Luna.*

SOLI DEO GLORIA.



OS A 1128


ULB Halle  
003 766 594

3



VD 17





EXERCITATIO ASTRONOMICA  
De  
STATIONE SOLIS  
tempore Josuæ,  
*Qvam*  
*In inclyta VVitteberg. Academia*  
publico eruditorum examini sistunt  
PRÆSES  
M. JOHANNES JACOBUS BOTSAKKUS,  
GEDANENSIS  
&  
RESPONDENS  
MARTINUS LUDEWIGI  
Rathenoâ - Marchicus.  
*In Auditorio Minoris horis matut:*  
D. 28. Septembr.  
Literis MICHAELIS MEYERI, 1670.